

CCXXVIII.

Anno 1704. 5. Julii. Viennae.

Leopoldus Rex fidelitatem SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae laudat et conservationem libertatum et jurium eorundem SS. et OO. spondet.

Fideles, Devoti, Dilecti. Relata mihi est a Cancellaria mea Aulico-Austriaca Rebellantium Hungarorum pessima intentio et perversum studium, quo perduelles Ragociziani Asseclae defectique Militis Praefecti a fide et pietate, quam mihi Regi suo debent, vos inclytos Regnorum meorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Status et Ordines, disseminatis quibusdam literis Patentibus, sub pristinae libertatis recuperandae praetextu Vobis falso suggesto, in idem flagitium trahere et nomen vestrum una cum eorum Deo et orbi exosum reddere satagebant; Et quam Nobili e converso, constanti et imperterriti semper animo non solum venenosis ejusmodi blanditijs et seductionibus, imo et subsecutis minis, incendijs et devastationibus hucusque fortiter reslitteritis, verum et qua fide, quibusque viribus, et quo rerum felici successu vim vi repuleritis, ditionibus meis interioris Austriae opem tuleritis, et non minus rebellem factionem Patria Vestra ejeceritis, quam eandem ipsa quoque in propria sui Patria nudato chalybe ultum iueritis.

Equidem Constantiam hanc, fidem hanc et devotionem in Regem Vestrum virtuti vestrae acceptam ferimus, et saepius eandem mihi et gloriosis Praedecessoribus meis egregia et laudabilia sane facta vestra et Majorum vestrorum quavis in fortuna probarunt, indeque Singularem meam et totius Imperialis Regiaeque Stirpis meae in me, Nationem Vestram et Patriam, gratiam et propensionem meruerunt; Hanc igitur et imposterum conservate, et juxta innatum vobis valorem virtutemque, fidem et amorem in Reges et Principes vestros continuis benemeritis vestris augete; Certi, quod, sicut eadem benigna prorsus mente recolo, et me tam avilico Antenatorum vestrorum incorruptae Constantiae Zelo, quam in his pendentibus rebellionis Hungaricae turbulentijs, vestro quoque erga me et Augustam Domum meam mihi devote hactenus demonstrato illibatae fidelitatis Candore Summopere contentum et consolatum agnosco, ita quoque gratijs meis pro solatijs et incrementis vestris non deero, prouti nimirum hisce Missilibus meis Caesaream et Regiam gratiam meam vobis amplam Confirmo, vosque apud Jura, immunitates et libertates Privilegiaque vestra, sicut hucusque, ita et deinceps absque interruptione firmiter manutenere velle Clementissime polliceor. Datum Viennae die 5. Julij 1704.

Leopoldus m. p.